

ritum solitum lecanijs & alijs deuotis orationibus lectis, idem reuerendissimus pater dominus Guillelmus cardinalis nonnulla decreta siue statuta per dominum nostrum papam ac synodum eisdem facta, publice perlegit sub his uerbis.

¶ De exemptionibus.

Martinus episcopus seruus seruorum dei. Attendentes, quod à tempore obitus felicis recordationis Gregorij papæ undecimi prædecessoris nostri, nonnulli Romani pontifices aut pro Romanis pontificibus se gerentes, & in suis diuersis obediētis reputati, pro sua uoluntate aut per importunitatem petentium nonnullas ecclesias, monasteria, capitula, conuentus, prioratus, beneficia, loca & personas à iurisdictionibus ordinariorum tempore dicti Gregorij nullatenus exemptos uel exempta, de nouo à dictorum ordinariorum iurisdictionibus exemerunt in graue ipsorum ordinariorum præiudicium, nos uolentes huiusmodi præiudicio obuiare, omnes exemptiones ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, capitulorum, conuentuum, prioratum, beneficiorum, locorum, personarum quarumcunque, etiam si ex prædictis aliquod monasterium fuerit exemptum, & postea subiectum monasterio diuersi habitus uel coloris, à tempore obitus dicti Gregorij undecimi per quoscunque pro Romanis pontificibus se gerentes, etiam si per nos forsan approbata fuerint ex certa scientia, uel innouata parte non uocata de nouo factas, quæ tamen ante exemptionem huiusmodi nulla exemptione gaudebant, sed simpliciter subiecebantur ordinariæ iurisdictioni, nullumque ante illud tempus habuerunt initium exceptis etiam exemptionibus, quæ uni toti ordini & quæ ecclesijs, monasterijs, capitulis, conuentibus, beneficijs siue locis, à prædicto tempore sub modo exemptionis aut conditione feudatis, aut contemplatione nouæ feudationis, seu uniuersitatis studiorum generalium aut collegijs scholarium, aut per modum confirmationis, augmenti aut additionis factæ fuerint aut concessæ, aut super quibus præsentibus & auditis (quorum intererat) autoritate competente ordinatum fuerit, seu in quibus ordinarij consenserint, & omnes exemptiones per petuas per inferiores à papa factas, sacro approbante concilio reuocamus, etiam si super ipsis lis pendeat indecisa, ipsam penitus extinguentes, ecclesias, monasteria & alia loca prædicta in pristinam ordinariorum iurisdictionem reducimus. Cæteris autem exemptionibus ante obitum dicti Gregorij habitis uel concessis, nullum uolumus per hoc præiudicium generari. Insuper non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi causa cognita, & uocatis quoque interesset.

¶ De unionibus.

Martinus episcopus seruus seruorum dei, Uniones & incorporaciones à tempore obitus Gregorij undecimi factas seu concessas, cum certa regula dari non possint ad querelas eorum, quorum interest, nisi fuerint impetrantes beneficia sic unita, si non ex rationalibus causis & ueris factæ fuerint, licet apostolicæ sedis autoritas interuenierit, reuocabimus iustitia mediante.

¶ De fructibus percipiendis.

Martinus &c. Fructus & prouentus ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum uacationis tempore obuenientes, iuris & consuetudinis uel priuilegij dispositioni relinquimus, illosque nobis uel apostolicæ cameræ prohibemus applicari.

¶ De Simonia.

Martinus &c. Multæ contra Simoniacam prauitatem ab olim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit cõpetenter extirpari, nos uolentes de cætero (ut possumus) attentius prouidere, sacro approbante concilio declaramus, quod ordinarij Simoniacæ, ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones autem, postulationes, confirmationes & quæuis prouisiones Simoniacæ ecclesiarum,

mona

al. fundaris  
al. fundarijs  
al. scholarij